I

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ tertiâ Decembris.



M. JOANNE DAVAL, Doctore Medico, Præſide.

Eſt ne viſio in animi-pathematis acutior?

I.

OCULUS flos cerebri; cujus caulis, nervus opticus; flos ipſe, retina; calix, aliæ tunicæ. His adnatæ, corneæ, & uveæ nomen datum. Adnata, inſigni foramine in luminis tranſmiſſionem anteriùs pertuſa, oculum & ligamenti inſtar orbitæ conjungit, & à vividiori luminis ſplendore partim tuetur. Hujus commodi cauſa duplex: ipſius ſcilicet adnatæ tum albedo, tum denſitas; à quibus luminis quaquaversùs depulſio. Cornea, quæ tranſlucida, multùmque convexa, ut luminis radii undique & uberiùs excipiantur, oculi globum format. Hac proximè incluſa uvea in medio perforata eſt, ad ſpecierum, ſeu luminis, ingreſſum. Externa ejus ſuperficies non ſemper ejuſdem coloris in omnibus hominibus: in hoc enim nigra, in illo cærulea, in alio fuſca. Interna ſemper nigricans in quolibet homine: ſic lumen à retinâ reflexum irretitur; quod in retinam reſiliens viſum perturbaret. Uveæ foramen, pupilla dictum, circulo quodam pluribus concinnato fibrillis gaudet. Harum plurimæ ad cryſtallinum humorem, quaſi à circumferentiâ ad centrum, feruntur; illum cingunt; ſuſtinent; impellunt: ut ejus ſitus pro variâ viſus neceſſitate immutetur. Illæ tibi ſint veluti exigui tendones uveæ, quæ exigui muſculi vices gerit. Modo enim dilatatur, modo contrahitur, majorem, vel minorem lumini aditum datura. Retina uveæ adhærens nervi optici expanſio eſt. Hæc non viſionis ſedes: ſed proximum viſionis inſtrumentum. Spiritum ſcilicet nervo optico delatum excipit. Quod in animantium catellis ligato illo viſionis nervo ipſis oculis patet. Mox quippe perit viſus: nervuſque opticus cohibito concluſi ſpiritus curſu ſupra ligaturam intumeſcit. His tunicis triplex humor concluditur, aqueus

nimirum, cryſtallinus, & vitreus. Hi propriâ tunicâ beari cenſentur, ille nullâ. Cryſtallinus inter aqueum & vitreum ſuſpenſus hæret. Vitreus omnium ampliſſimus. Hujus pori cryſtallini poris patentiores; & in poſticâ oculi parte ſedet. Horum humorum, ut corneæ, auxilio luminis radii variè refracti in unum coeunt juxta aliquod retinæ punctum. Retinam idcirco, & concluſos in ipsâ ſpiritus validiùs ac diſtinctiùs commovent; adeo ut recepta motio ad ſedem animæ, à quâ percipiatur, integerrimè tranſmitti queat. Talis perceptio viſio dicitur. Viſionem variant tunicarum figura, humorumque ſitus. Hinc convexiore corneâ cryſtallinoque humore à retinâ remotiore vicina objecta facillimè, remota difficillimè cernuntur. Qui enim è vicino objecto emanant radii (quia vividiores) non tam facilè franguntur; nec priùs in unum coëunt, quàm ad retinam pervenerint. Radii veró è remotiore objecto emiſſi, (ut imbeciliores), faciliùs franguntur; & citiùs in unum coëunt; quàm retinam attigerint. Contrarium evenit: Si depreſſa cornea, ſi cryſtallinus humor retinæ vicinior. Hinc ſenes res vicinas confusè, longinquas diſtiuctè cernunt. Verum ſæpe ars ſuccurrit naturæ. Si convexior cornea; viſus ab ocularibus concavis: ſi depreſſior à convexis juvatur. Hæc luminis radios ad lineam perpendicularem adducunt: illa removent: utraque, qualem tunicarum oculi configurationem expoſtulet visûs acuties, commonſtrant. Requiſita tamen, & elegans tunicarum, etiamnum humorum, conformatio, aptuſque ſitus viſionis acutiei non ſufficiant. Maximè deſiderentur copioſi, ſinceri, ac defæcati ſpiritus, & patentes, à præpoſteriſque motibus immunes nervorum, ut muſculorum, viſioni inſervientium tubuli.

II.

SPIRITUS præcipuus functionum opifex. In arteriis ſanguinem aptat nutritioni, generationi. In cerebro animæ cogitationes; in nervis motum ſuſcitat. Vividior è corde rectâ ad cerebrum appellit, hujus in corticali parte defæcandus. Id officii peragunt plurimæ glandulæ, & in his luxurians ſal quoddam Ammoniaco non diſſimile. Salis ope evolutus ſpiritus per glandulas, quaſi per cribra, trajicitur. Tunc innumeris cerebri tubulis exceptus ſocietatem quamdam cum animâ videtur inire. Ita ut anima & ſpiritus mutuo præſidio ſæpius indigeant. In ejuſcemodi ſocietate hominis eſſentiam conſtituas: ſpiritumque vinculum animæ cum corpore ſapienter arbitreris. Ne tamen credas animam nihil abſque ſpiritûs auxilio moliri.

Variæ ſunt animæ actiones. Sunt, quæ fiunt citra ullius corporis, ſpiritûſve commercium : ut ſui ipſius, ſuique authoris cognitio. Sunt, quæ partim à ſpiritu, aliiſve corporibus pendent : hujus generis ſenſatio, phantaſia, memoria. Actionem, quâ nervorum, ſpirituumque motus anima percipit, ſenſationem voca. Inter ſenſationes viſio primas tenet. Hæc tamen varia ; nec in omnibus, nec in eodem homine æqualis ſemper eſt acutiei. Illis certè multò acutior, quorum ſinceri & uberes ſpiritus ; patentioreſque, necnon à præpoſteris motibus immunes nervorum ac muſculorum viſûs miniſtrorum tubuli. Quanta enim viſionis imbecillitas, quanta depravatio ab inquinatis ſpiribus ! Hi ſæpius recrementorum pondere obruti vix ullos typos motuſque valent à luminis radiis excipere : vixque oculum pro vario objectorum ſitu movere : nec pro neceſſitate illius tendere tunicas ; quas id circo lumen, poris fibrarum laxitate anguſtioribus factis, ægrè ſubit : & in quibus veluti obtunditur ; nullum ſiquidem mobile mollia corpora citra maximam ſui motûs jacturam uſquam tetigit. Idem evenit, dum pauci, quamvis ſinceri, ſpiritus. Porrò ſpiritus interdum ab efferâ materiâ impenſiùs agitati omnem objectorum actionem non minori viſionis damno aut eludunt, aut in ſui motûs determinationem adducunt. Lex quippe eſt naturæ ; ut valentius mobile imbecillius ſecum abripiat ; atque, ſi utrumque liquidum ſit, confundat. Ab illâ quoque ferociente materiâ oculorum nervi & muſculi inordinatis motibus non raró perciti, aut quaſi verâ convulſione detenti, quid etiam noxæ viſioni inferre valeant ; nimis compertum eſt. Inſuper, ſi ſpiritus partim ab heterogeneâ materiâ, partim ab objectis typos modos-ve recipiant ; quantum inde viſionis vitium ! quanta labes ! ſpectra plurimi generis obverſantur animæ ; nec uſquam ipſi fidelis rerum imago. Sic divinæ mentis aura luditur ! Certò igitur contrariorum legibus conſtet, ſinceros copioſoſque ſpiritus non parùm viſionis acutiei conducere. Illi tamen, ſi quoddam in nervis, aut muſculis vitium, quàm ſæpe inutiles. Sint etenim quantùmvis defæcati, omni ſplendore & ubertate niteant ; an poterunt vel obductos, vel compreſſos nervorum atque muſculorum viſioni dicatorum tubulos ſubire ? an à luminis radiis caracteres motuſque mutuari ? noſcas illud, aut è guttâ ſerenâ ; quæ cæcitatis ſpecies ; in quâ prorſus obſtructæ, vel compreſſæ, omnes nervi optici fibrillæ ; aut ex objectis, quæ interdum perforata maximo viſionis errore cenſentur, præpeditis ſcilicet quibuſdam duntaxat ejuſdem nervi tubulis ; aut ex

arteriâ nervo optico ſubſtratâ, quæ non nunquam rarefacto ſanguine tumens, ſicut in ebriis & phreneticis contingit, omnes nobiliſſimi hujuſce nervi fibras ita comprimit, ut partim, vel penitus, inhibito ſpirituum curſu viſio vel maximè obtundatur, vel proſus pereat.

III.

ANIMI pathema actio animæ eſt, ſpirituum curſu ſæpiusque recurſu ſuſcitata, in quâ ipſa anima veluti commota videtur. Ne etenim arbitreris animam moveri, motus materiæ, non ſubſtantiæ ſpiritalis, modus eſt. Quidquid movetur; conſtat ſuperficiebus, quæ ambientia corpora ſucceſſivè tangunt. At Animæ nulla ſuperficies. Hinc ipſam immortalem credas. Hinc, eandem functionum corporis effectricem dicere, abſurdum. Illa, divinæ mentis munus & imago, nullos niſi ſpiritales effectus prodit. Nihil enim ſpiritus in corpora, ut corpora nihil in ſpiritus poſſunt. Quilibet effectus ſuæ cauſæ naturam ſequitur. Si tollas proportionem inter cauſas & effectus; rerum naturas ſubvertes. Multi tamen ſpirituum nervorumque motus varias in animâ actiones, ut ipſa anima varios ſpirituum & nervorum motus edere videntur. Quod in animi pathematis, ſenſationibus, motibuſque voluntatis imperio ſubditis liquet. Sed ne decipiaris. Diſtingue occaſionem ab efficiente causâ. Anima quippe nervos & ſpiritus tangere non poteſt; ut, motus edat: nec ipſa tangi, ut ad agendum excitetur. Scias ſupremum animæ & corporis artificem decreviſſe; ut, quoties certi in ſpiritibus & nervis motus contingerent, toties certæ actiones in animâ ſuſcitarentur: & vice versâ. Animæ actiones, & ſpirituum nervorumque motus à Deo, ut à genuinâ proximâque causâ repetantur. Actiones Animæ, quæcunque ſint, ſub cogitatione, ut ſpecies ſub genere continentur. Hanc animæ eſſentiam credas: ſic anima ſemper cogitat, etiam in placidiori ſomno. Modus, quo cogitationem elicit, ne inquiratur; latet in immensâ ipſius authoris majeſtate. Cogitatio ſoli ſubſtantiæ ſpiritali propria. Hac qui bruta beari aſſerit; is vel Pythagoræ metempſychoſi, vel Epicureorum opinioni favet. Utramque & ratio & fides vetant. Primam à ratione minùs alienam, alteram abſurdiſſimam putes. Ne quoque ſenſum animantibus tribuas. Pollent illæ motibus, qui ſenſum præcurrere, & ſubſequi ſolent: non ipſo ſenſu, qui perceptio eſt. Miraris hos in animantibus motus, ſolitos in homine ſensûs indices. Sed converte oculos in ipſum hominem; & deſine mirari. Hic ſæpe motus edit; quos ſensûs, etiamnum rationis, miniſtros nemo non dixerit: qui tamen, animâ non at-

tendente, ſolâ ſcilicet mechanicâ organorum diſpoſitione, & ſpirituum influxu peraguntur. Sic litigioſus preces ante aras quotidie videtur fundere; attamen, ipſo fatente, litem tunc judicibus explicat. Brutas animantes bonum à malo ſecernere, etiam commentum. Videntur equidem multa ſecernere, ſed nullâ cognitione prævia. Sic magnetem ferrum, ſic ſuccinum paleam ab aliis confuſiſque corporibus ſeligere ſapienter diceres. Qui aliter ſentit; is fidem, ut rationem, neſcit, aut calcat. Perceptionem etenim, ac cognitionem in brutis agnoſcere nullus poteſt; quin animam materiæ expertem, atque adeò immortalem, in illis pariter agnoſcat; ipſiſque poſt mortem loca ſuppliciis & felicitati dicata infando ſcelere conſtruat. Sed hunc divina conterant fulmina: niſi thure dato, relictoque errore arceatur tonantis manus. Sis alterius malis doctus & pius; noli obſcuras erroris vias ingredi; nec præjudicatâ opinione tenearis. Ambula per ſacras veritatis ſemitas; & diſce *brutorum animam eſſe ſanguinem.* Hinc quoque arbitreris nullis illa animi-pathematis percelli. Motibus animi pathematum, ut de ſenſibus dictum eſt, polleant, non ipſis animi-pathematis, quæ ſunt ſpiritalis animæ actiones. Sintque tunc illorum organa eâdem ratione affecta, ac in homine: in quo, dum ipſe animi pathematis, ſibi ſoli propriis, agitatur; ſpiritus aut pauci, aut, ſi uberes, minimè ſinceri, aut nervi, ut muſculi, viſionis miniſtri obducti, vel compreſſi, vel in ordinanatis motibus perciti cenſeantur.

IV.

CAUSA animi pathematum multiplex: externa vel interna. Externa nihil præter ſenſuum objecta, quatenus aut nocere, aut prodeſſe poſſunt. Interna duplex, antecedens & proxima. Antecedens, ſucci varii, quibus nervi, & animales ſpiritus variè tanguntur, agitanturque. Proxima ipſi animales ſpiritus certâ ratione commoti. Animi-pathematum ſedes non in corde; ſed in cerebro. Nec obſtat inſolita ſingulariſque cordis in ipſis animi-pathematis agitatio. Hæc à nervulo è cerebello & animalibus ſpiritibus in cor emiſſis pendet. Animipathematum multiplex genus. Amor, odium, gaudium, triſtitia, magnanimitas, terror, & ira primas tenent. Amor eſt veluti animæ commotio, quâ ipſa anima fertur in objecta, quæ ſibi convenire, & prodeſſe putat. Odium contrariorum lege definiatur. In amore augetur pulſus: gratus calor in pectus diffunditur; citò concoquuntur cibi; ſæpe oculi micant, aliàs languent, rotantur. Contra in odio pulſus exilis, plerumque præceps, & inæqualis; nauſea poſt aſſumptos cibos; qui perperam in ventriculo ſolvuntur; non rarò

tenſæ oculorum tunicæ; fixi ipſi oculi; horumque palpebræ plus ſolito apertæ. Gaudium audiat gratam quaſi commotionem animæ poſſidentis quæ ſibi videntur bona: Triſtitia ingratum animæ langorem, propter boni cujuſdam defectum, aut incommoda; quibus divinæ hæc particula auræ afficitur. In gaudio pulſus ſatis celer; cor dilatatur; in omne corpus cum amico calore confeſtim pellitur ſanguis; rubet ridetque facies; nitent oculi, interdumque (ſecus tamen ac in triſtitiâ) lacrymas fundunt; languet ciborum appetitus; horumque fit minùs bona concoctio; ſed quod ſtupendum! ſyncope, vel mors ipſa aliquando immodicum gaudium claudit. Expende nunc triſtitiæ phænomena. In hac cordis oſtia ſtringuntur; ſanguis lento incedit paſſu; ferè deficit pulſus; corpus friget; palleſcit vultus; flacceſcunt oculi, quaſi citò morituri; vix appetuntur, vix ſubiguntur cibi; ſupprimuntur excretiones; omnes tandem corporis functiones aut depravantur, aut hebeſcunt. Magnanimitas ſit tibi πάθημα; in quo anima ad ſuſcipiendas perficiendaſque res, etiam urgentiori periculo ſtipatas, excitatur, diſponitur. Motus magnanimitatis comites ne inquiras; latent illi; nec exprimi queunt. Terrorem dicas animi perturbationem, quæ ipſi animæ imminentibus malis obſiſtendi poteſtatem adimit. Tunc ſanguis vix ad corporis habitum vehitur; immò in internas partes ejus vertitur curſus. Hinc palpitatio cordis, ſpirandi difficultas, pulmonum compreſſio, & interdum ſtercoris, ut urinæ, citra voluntatis imperium dejectio; tuncque oculi hinc inde diſtracti maximè versùs orbitas trahuntur. Necnon, animalibus ſpiritibus in femorum crurumque nervos irruentibus, ſalus in fugâ quæritur. Ira denique quædam eſt ſpecies odii acriter concepta adversùs eos, quos malum patrare, quoſve aut nobis, aut aliis nocere cenſemus. Effectus iræ in variis hominibus varii. In aliis corpus friget, palleſcit vultus, ſubinde tamen adaucto ultionis deſiderio, vel potiùs in ipsâ ultione, eorum ſpiritus, liquores, corpus omne ſupramodum incaleſcunt, accenduntur. In aliis mox ſanguinis ſpirituumque motus impenſius adaugetur; rubet facies; ardent minaces oculi, & variè moventur; mens ipſa de ſede veluti dejicitur; & aliquando difficultas ſpirandi pectus ita premit; ut ſuffocationis metus multos deterreat. Ex his omnibus animi pathematum effectis intelligas, quàm in illis pauci ſint interdum ſpiritus viſionis miniſtri, vel, ſi uberes, quàm adulterati. Nervorum, ac muſculorum viſioni quoque inſervientium tubulos vel obductos, vel compreſſos, vel aliâ ratione perperàm diſpoſitos pariter agnoſcas. Spirituum inopia ſatis declaratur tùm in

triſtitiâ, cùm in terrore; in quibus vix movetur ſanguis, ex quo ferè ſepultæ vividiores particulæ, quibus ſpiritûs vitalis nomen, paucæ evolui, paucæ ad cerebrum appellere queunt; ut hujus incolæ fiant. Nec gaudium multò majorem ſpirituum ubertatem nobiliſſimo organo ſuppeditat. In hoc tamen ſanguinis motus viget; rarefiunt ejus particulæ, etiam craſſiores; extricantur, ſuique juris fiunt ſpiritus; ſed per omne corpus diffuſi diſſipantur. Neque autumes in amore, in quo ſæpe omnia vigere videntur, ſpiritus abunde luſtrare visûs organa. Meminiſſe juvet ipſos ſpiritus de hiſce organis averti inſignibus ſimilium ſpirituum columnis, quæ amoris idæas fovent; in harumque determinationem abripi. Sed ſi veſanus amor mentem occupet; ſpiritus cum variis heterogeneiſque myaſmatis confuſi inquinantur, agitantur tumultuosè, prorſuſque pervertuntur. Teſtis concinna priùs cerebri compages tunc penitus ſubverſa; teſtis ipſa mens abſurda obſcænaque multa turpi linguæ miniſterio effutiens. Nec minus adulterati ſpiritus, nec minus læſa exquiſita cerebri ſtructura in violentis iræ motibus reputentur. Sanguis enim præcipiti motu ad cerebri corticem appulſus hujus glandulas, pluſquam par eſt, reſerat; per haſque ex ipſo plurimæ heterogeneæ particulæ cum ſpiritibus in cerebrum exploduntur. Ex his craſſiores in nervorum muſculorumque viſui dicatorum tubulos, vel in externam ipſorum ſuperficiem impulſæ, eos aut intus præpediunt; aut extus comprimunt. Ferociores verò in motores oculorum nervos, muſculoſque non raró erumpentes oculos variis viſionique infenſis motibus agitant; necnon nervum viſionis præſidem nervulorum è motoribus emiſſorum, quibus ille circumligatur, interventu ſummo viſionis detrimento commovent; immò & in ipſum quoque nervum opticum irruentes motus concitant non minùs infenſos, Aliorum animi pathematum effectus ſilentio involuas; hos tantum ſecundùm magis aut minùs à recenſitis differre non immeritò credideris.

V.

EX his igitur colligas, quanta ſit in animi pathematis viſionis læſio: hæcque tibi rurſus innoteſcat ex ipſis oculis; qui in nonnullis ſupramodum convexi fiunt: in aliis complanantur. In utriſque enim luminis radii perperàm refracti aut citiùs, aut tardiùs in unum coëunt. Non ſanè citrà viſionis offenſam in variis animi pathematis tunicarum oculi fibræ vaſaque incluſis liquoribus tumentia atque agitata facilem lumini in oculos aditum negant: illud non mediocriter repellunt: nec parum ejus caracteres & modos immutant. Tuncque myaſmata non raro in ipſos oculos erumpentia veluti μαρμαρυγὰς, atomos, muſcas, aliaque id genus ſummâ etiam viſionis læſione referunt. Quantùm pariter

visioni obsit mutatus in non paucis animi pathematis humorum oculi situs; nemo est, qui tum è refractionum legibus, tum è supradictis non intelligat. Lacrymæ quoque vel gaudii, vel tristitiæ, vel iræ comites non imbelles visûs inimicæ. Hæ luminis radios non leviter obtundunt, demergunt; illisque in oculos, horum scilicet obductis poris, solitos claudunt aditus. Si plura quæras argumenta; vide, interroga, audi aliquem vel tristitiâ, vel terrore, vel similibus animi pathematis perculsum: is, si sincerus, tibi oculorum suorum, ut omnium ferè corporis partium imbecillitatem, quam sæpe velare nequit, haud dubiè fatebitur; & cum optimo principe, sacrove prophetâ ingenuè respondere poterit: *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum: & ipsum non est mecum.* Sed, quod horrendum! hominem furenti irâ percitum, (& in hoc jumentis inferiorem) videbis aliquando, quasi orbatum oculis, obvios, etiam amicos, pro inimicis sine discrimine aggredi; illorum pectus lethifero gladio trajicere; & immaturo cæcoque fato vitam eripere; quam ante furoris æstum proprio sanguine fovere, servareque voluisset: quamve pacato furore (si per superos concederetur) pari pretio ovans revocaret. Sed illi eheu nil superest; nisi forsan triste solatium oculos suo malè functos officio amaris profusisque lacrymis plectendi. Sed quid velim singula animi-pathemata, ut certos imminutæ, etiamnum depravatæ, visionis parentes, commemorare? in omnibus etenim illam sensationum nobilissimam aut parum aut multùm infirmari non ibit inficias, qui animæ indolem expenderit. Ea est animæ conditio; ut ipsa plures eodem tempore perceptiones, aut edere non possit, aut obscuriùs edat, aut ex illis alias vividiùs, alias imbecilliùs eliciat. Hinc hujus παθήματα (inter vividiorum perceptionum species meritò recensenda) perceptionem organi visûs interventu suscitari solitam, naturâ suâ imbecilliorem, aut in ortu delent, aut ortam minuunt, aut oriri prohibent. Nec mirum: fortia namque imbecilla deprimere, ne dicam perimere, nata sunt. Ex his frænare discat fragilis naturæ impetus, qui servandæ visionis acutiei consuluerit.

Non ergo visio in animi-pathematis acutior.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Boudin.
M. Guido Erasmus Emmerez, Scholarum Professor.
M. Michael de Hodencq.
M. Poncius Maurin.
M. Franciscus Maillard.
M. Joannes Poisson.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.

Proponebat Parisiis ANTONIUS SERIN, Francopolitanus diœcesis Ruthenensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.